



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Enchiridion. Catechismus Minor D. Martini Lutheri, pro Parochis &
Concionatoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Enchiridion.

CATECHIS- MVS MINOR

D. Martini Lutheri, pro Pa-
rochis & Concionatoribus.



PRÆFATIO D. MARTI- NI LVTHERI.

Martinus Lutherus omnibus fidelibus,
pijs Parochis & Concionatoribus
Gratiam misericordiam & pacem
in Christo Iesu Domino nostro pr.

MISERABILIS ILLA FACI-
s, quam proximè, cum visitatorem a-
grem, vidi, me ad edendum hunc Cate-
chismum, simplicissimè & breuissimè
tractatum coegit. Deum immortalem,
quantam calamitatem ibi vidi: Vulgus,
praesertim autem illud, quod in agris vixit, stertit plerum-
que Parochi, adeò nullam Christianam doctrinam cogni-
tionem habent, ut dicere etiam pudeat. Et tamen om-
nes sancto illo Christi nomine appellantur, & nobis-
cum communibus vsuntur Sacramentis, cum orationem
Dominicam, Symbolum Apostolicum, & Decalogum
non modò non intelligant, sed ne verba quidem referre
possint. Quid multis moror? nihil omnia a bestijs dif-
ferunt. Iam autem cum Euangelium passim doceatur, illi

Vel maximè Christianorum libertate fruuntur. Quae hic Christo respondebitis Episcopi, quibus illa curae diuinitus demandata? Vos enim estis, quibus Vel illa Christiana religionis calamitas debetur. Vos permissi ita turpiter errare homines, Vestra ea est culpa, quae nihil minus iniqua fecistis, quam hoc, quod Vestra officio erat, facere. Nolo hic quicquam mali vobis imprecari. Ea autem an non est summa impietas cum maxima impudenti a coniuncta, quod vnicam tantum speciem Sacramenti ac Vestras traditiones vrigetis? hoc profecto contemnitis & negligitis, an illi, qui Vestra fidei & cura commendati sunt, orationem Dominicam, Symbolum apostolicum aut Decalogum teneant, nec no? Va vobis. Per Deum igitur omnes vos Parochos & Concionatores rogo atque obtestor, ut serio Vestrum faciatis officium, & ut diuinitus vobis commendata plebis agationem, Quod tum rectissime feceritis, si vna nobis hunc Catechismum vulgò, praesertim autem junioribus, inculcetis. Quod si qui ex vobis adeo sunt indocti, ut omnino nullam harum rerum cognitionem habeant, illis non pudeat, suis auditoribus praelegere de Verbo ad Verbum, à nobis praescriptam hanc formam, in hunc modum:

PRIMÒ omnium hoc cauebunt Concionatores, ne subinde alio atque alio modo Vel Decalogum, Vel Dominicam orationem, Vel Symbolum apostolicum, Vel etiam Sacramenta proponant, sed ut perpetuo eadem viantur forma, in his proponendis & explicandis vulgò. Ideo autem hoc do consilium, quòd sciam, non posse feliciter doceri simpliciores homines, & qui natu minores sunt, quam vna atque eadem forma saepius proposita ac repetita. Quòd si iam isto, iam alio modo eadem proponas, facile perturbantur simpliciores animi, & fiet ut pereat omnis opera, quam in docendo ponis.

Atque hoc viderunt sancti Patres, qui voluerunt De-

Decalogi, Symboli & Dominicae orationis unam eandemque certis verbis descriptam formam in Ecclesia esse. Illorum diligentiam nos imitari convenit & danda opera est, ut simplicioribus & ravioribus sic illa proponamus, ut ne una quidem syllaba immutetur, quotiescunque tandem Catechismum doceas, & ut perpetuo sui similis sit tractatio. Quamcumque igitur tibi delegeris predicandi Catechismi formam, eam perpetuo retinebis, neque unquam ab ea discedes. Alia autem ratio est, si in turba doctorum hominum Evangelium doceas, ibi enim eruditionis tua specimen edere potes, neque prohibeo, si apud illos tractationem varies, & subinde alium atque alium cultum dicendo fingas. Apud simpliciores autem perpetuo eadem certis verbis descripta forma uteris. Et debet is primus esse labor, ut Decalogum, Symbolum, item orationem Dominicam, de verbo ad verbum nude & simplicissime doceas, ut eadem sepius audita, ipsi quoque auditores referre discant.

Quod si qui ad eam religionem contemnunt, ut discere hac nolint, illi monendi sunt, quod Christum negent, & quod nihil minus sint, quam Christiani. Atque illi neque admittendi sunt ad Sacramentum altaris, neque ad Catechistarum officium, qui puerus baptizandus adsint, Et si Christiana libertatis jure vis velint, ubi eis est commodum, non est illud eis concedendum, sed potius ad Papam atque eos, quos vocant Officiales, & ad ipsum quoque Satanam sunt ablegandi. Parentum autem & Patrumfamilias officium erit, negare talibus hominibus vitium, & pulchre quoque fecerint, si offeratis illis hominibus indicent, eam Principis esse sententiam, ut in exilium aliquo delegentur, & eiciantur e patria.

Quamquam enim sic sentiam, ad fidem neminem vel posse vel debere cogi, hoc tamen omnino faciendum est, ut teneat vulgus, quid jus, quid item contra jus illorum sit, cum quibus vivit, & suum quaritavitum.

Hoc enim requiritur, ut quisque sua civitatis iura, quibus, seu privilegio quodam, Vis Volet, et omni & obsequio sine credat vere, sine perditus aliquis sit nebulo.

SECUNDUM, Cum simpliciotes isti jam Catechismi Verba bene annumerare didicerint, tradenda postquam que est eis explicatio, ut ea etiam intelligant. Patet autem vel hac nostra forma, quam h. c. prescriptam videtur, vel alia quadam. Si ut autem, et ante monuit, Catechismus nudus iisdem semper Verbis vulgo propriis datus est, ita in expositione Catechismi, experiri perperam eandem tractationem sequendam, ne quidem tantum una & unica syllaba. Sumes autem ad eam rem statim temporis, neque enim necesse est omnia simul proposuisse, sed sunt faciendi ordines, & in tractando alio unum alterum te convenit subijcere. Ut si jam exacte tenuerint, quantum primum preceptum postulet, tum ad secundum et perigendum. Ut sic omnia doceantur certo ordine, aliter enim fiet, ut nimis copia obruta & perturbata mente nihil profusus retineant.

TERTIO, Postquam hanc brevem Catechismi expositionem absolueris, tum illam longiorem tractationem ingrediens, ut plenius omnia auditores intelligant, singula precepta, singulas Synb'oli & orationum Dominicæ partes, suis illustrabis coloribus, variis enumeratis opera, varios fructus & commoda, qua inde evaduntur, item pericula & damna quoque, in qua contingunt si minus ea præstentur. Invenies autem ista passim peritum hominum scriptis copiose explicata. Porro maxime urgetur illa precepta, in qua potissimum committuntur loci homines, videlicet. Et veteris rei exempla subijta. Septimum preceptum potissimum urgetur apud mercatores, & apud illos, qui manuvias exercent opera. Commodè quoque hoc preceptum apud agricolas, servatius urgetur; illi enim pessima fide cum hominibus agunt & varijs modis committuntur furtiva. Sic qua

sum præceptum apud impertum *Vulgus*, & *minores* natura potissimum *virgere* convenit, ut sint *quieti*, *bona fide* omnia agant, *pareant* magistratibus & *parentibus*, *publicam pacem* non perturbent. Sunt autem hec *sacrarum* *literarum* *historijs* *illustranda*, ubi *Deus*, *vel* *graves* *pœnas* à *transgressoribus* *hujus præcepti* *excigit*, *vel* *illoru*, *qui* *servarint*, *omnia cæpta* *mirabiliter* *fortunavit*.

Hoc quoq; *inprimis* *coloco* *ages*, *ut* *commoneas* *huius officij* *Magistratum* & *Parentes*, *ut* *summa* *diligentia* *publica* *munera* *obeant*, & *suos* *liberos* *ad* *literarum* *studia* *adhibeant*. Sic autem *commoneandi* *sunt*, *ut* *sensiant* *se* *debere* *illâ* *ex* *divino* *mandato*, *quâ* *si* *minus* *faciant*, *gravisimè* *à* *se* *esse* *peccatum*. Quid enim *illi* *faciunt* *aliud*, *quam* *ut* *simul* & *divinam* & *humanam* *administrationem* *tollant*, *non* *aliter* *atq;* *infensissimi* *Dei*, *tum* *hominum* *hostes*?

Atq; *hic* *cen* *in* *tabula* *spectandum* *propones*, *quàm* *gravia* *damna* *rebus* *publicis* *dent* *illi*, *qui* *suos* *liberos* *non* *adhibent* *ad* *literas*, *ut* *in* *Parochos*, *in* *ministros* *Verbi*, *item* *ad* *alia* *officia*, *quorum* *hæc* *vita* *non* *sine* *magna* *calamitate* *carere* *potest*, *aliquando* *deligi* *possint*. Hoc quoq; *addes*, *Deum* *gravisimas* *pœnas* *pro* *illo* *peccato* *à* *parentibus* *expetiturum*. Et *sane* *haud* *scio*, *an* *sit* *alius* *locus* *qui* *æquè* *merebatur* *tractari*, *atq;* *hic*. Neq; *enim* *dici* *potest*, *quantum* *hæc* *in* *parte* *à* *Magistratibus* & *Parentibus* *nostro* *seculo* *peccetur*. *Non* *autem* *dubium* *est*, *quin* *id* *à* *Satana* *fiat*, *eo* *consilio*, *ut* *in* *maximam* *calamitatem* *Germaniam* *conijciat*.

POSTREMO, *Quoniam* *Papa* *tyrannus* *imminuta* & *labefactata* *sane* *est*, *multos* *passim* *inuensas*, *qui* *ad* *Sacramentum* *nunquam* *accedunt*, *sed* *contemnunt* *plane*, *seu* *rem* *inutilem* & *non* *necessariam*. *Illi* *quoq;* *impellendi* & *urgendi* *sunt*, *hæc* *tamen* *ratione*, *Nolo* *ego* *quæquam* *neq;* *ad* *fidem*, *neq;* *ad* *Sacramenta* *cogi*, & *male* *faciunt* *illi*, *qui* *leges*, *certa* *tempora*, *aut* *certa* *locâ*, *ad* *tales* *res*, *prescribunt*.

Sic

Sic tamen docere illi, qui in officio Verbi sunt, debent
 ut sine nostris legibus, & iure sua voluntate coacti, au-
 tores ad nos veniant, & nos ministros Verbi cogant qui
 ad porrigendum Sacramentum. Id quod tam fiet, si sic
 ceas, Periculum esse, ne ii contemnunt Sacramentum,
 que digni sint qui in Christianorum numero censeantur
 qui non in anno quater & minimum, sacramentum
 mant. Quemadmodum neq; illi in Christianorum nu-
 mero censendi sunt, qui Euangelio vel non credunt, &
 illud non audiunt. Neq; enim Christus, cum instituit
 Sacramentum, dixit, Hoc obmittite vel contemnite, sed
 Hoc facite, quotiescunq; biberitis, &c. Hoc certe vult,
 faciamus, non vult, ut aut prorsus intermittamus aut
 contemnamus, Sic enim ait, Hoc facite.

Quod si quis Sacramentum contemnit, certum id est
 argumentum, quod neq; in peccatum, neq; carnem, neq;
 Satanam, neq; mundum, neq; mortem, neq; pericula,
 neq; infernum habeat. Hoc est, quod prorsus nihil horum
 credat, quanquam totus immersus sit peccatis, & in sa-
 na regno gravissime teneatur captivus. Contra, non gra-
 tia, non vita, non Paradiso, non caelo, non Christo, non Deo
 neq; illo alio bono, opus habeat. Nam si crederet, se peccati
 oblitum, longissime a gratia abesse, sine dubio hoc Sa-
 cramentum non contemneret, in quo contra peccata re-
 medium, & tanta omnium bonorum copia nobis exhibe-
 tur. Neq; etiam huic ullis legibus opus esset, quibus ad
 Sacramentum sumendum cogeretur, ipse sua sponte ac-
 curreret, coactus peccatorum mole, & se potius cogere
 ad porrigendum sibi Sacramentum.

Non igitur hic legibus agendum est, id quod Papa se-
 cit. Hoc fac, ut oratione, quantum potes, huius Sacra-
 menti commoda & incommoda, pericula & bona, iter
 necessitatem cum summa utilitate contemnam, exag-
 geres, Tum fiet, ut ultro accurrant, & ipsi se cogat. Quod
 si his nihil moveantur aliqui, sine eos suo vivere mori

Hoc tantum eis dices, quod in Satana sint regno, qui nihil, neq; sua necessitate, neq; Dei benignitate & gratia, quam eis in Sacramento exhibet, moveantur. Qui vero hoc modo suos auditores non urgent, & legibus eos potius solunt cogere, illa occasionem contemnendi Sacramenti illi præbent. Cum enim ministri Verbi adeo sint oscitantes, non est mirum, si auditores quoq; sint negligentiores. Hoc igitur probe considerent Parochi & Ministri Verbi, longe tam aliud suum esse officium, quam olim in Papatu fuerit. Jam enim est ministerium salutis & gratia, fit igitur quoq; difficilior & laboriosus. Et cum gravissima pericula & tentationes in ministerio sint perferenda, tamen neq; laborum primum, neq; gratias in mundo meretur. Verum nihil nos illa mundi ingratitude cum summa impietate conjuncta, moveat. Christus ipse nobis satis ampla premia proposuit, si modo fideliter in eius vinea laboraverimus. Id autem ut commodius possimus, faxit Pater omni gratia, Cui sit laus & gloria in secula, per Christum Iesum Dominum nostrum, Amen.



DECEM PRAECEPTA, QVOMODO

paterfamiliâs ea suæ familiae
simplicissimè tradere debeat.

PRIMUM PRAECEPTVM.

Non habebis Deos alienos.

Qua est huius praecepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum supra omnia timere, diligere, & confidere.

II. PRAECEPTVM.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum; Non enim habebit in fontem Domini eum, qui assumerit nomen eius in vanum.

Qua est huius praecepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne per nomen eius imprecemur, iuremur, incantemus, mentiamur aut dolis fallamus, Sed in omni necessitate illud invocemus, adoremus, & cum gratiarum actione laudemus.

III. PRAECEPTVM.

Memento, vt diem Sabbati sanctifices.

Qua est huius praecepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne diuinos sermones, & eius verbum contemnamus, Sed vt sanctum reputemus, libenter audiamus & discamus.

IV. PRAE

IV. PRÆCEPTVM.

Honora patrem & matrem. vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.

Qua est huius præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne Parentes & Dominos nostros contempnamus, neq; ad iram commoueamus, sed honore afficiamus, illis seruiamus, morem geramus, amore eos prosequamur & magnificiamus.

V. PRÆCEPTVM.

Non occides.

Qua est huius præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne vitæ proximi nostri incommodemus, aut ægrè faciamus, sed illum adiuuemus & promoueamus, in omnibus vitæ & corporis necessitatibus & periculis.

VI. PRÆCEPTVM.

Non mœchaberis.

Qua est huius præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, vt castè & pudicè viuamus, in verbis ac operibus, & vnusquisq; suam coniugem amet ac honoret.

VII. PRÆ-

VII. PRÆCEPTVM.

Non furtum facies.

Qua est huius præcepti sententia?

Debemus Deum timere & diligere, ne proximo pecuniam, aut bona auferamus, neq; falsis mercibus aut impostura ad nos pertrahamus, Sed demus operam vt illius opes conseruentur, & eius conditio melior reddatur.

VIII. PRÆCEPTVM.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Qua est huius præcepti sententia?

RESPONSIO,

Debemus Deum timere & diligere, ne proximum falsis mendacijs inuoluamus, prodamus, traducamus aut infamia aliqua afficiamus, Sed illum excusamus bene de eo sentiamus, & loquamur, & omnia in meliorem partem accipiamus & interpretemur.

IX. PRÆCEPTVM.

Non concupisces domum proximi tui.

Qua est huius præcepti sententia?

RESPONSIO,

Debemus Deum timere & diligere, ne hereditatem vel domum proximi, dolo malo captemus, & sub specie juris & recti, nostris facultatibus adiungamus: Sed potius eum iuuemus, vt suas fortunas retineat intactas.

X. PRÆ

X. PRÆCEPTVM.

Nec desiderabis vxorem eius, non seruum,
non ancillam, non bouem, non asinum, nec
omnia, quæ illius sunt.

Qua est huius præcepti sententia?

RESPONSIO.

Debemus Deum timere & diligere, ne à proximo
vxorem, seruos, ancillas, vel pecudes abalienemus, aut
abstrahamus; Sed illos adhortemur, & vrgeamus, vt
maneant, & suum officium diligenter faciant.

*Quid autem summam dicit Deus
de his præceptis omnibus?*

RESPONSIO.

Sic dicit Exod. 20.

Ego DOMINVS Deus tuus, sum fortis ze-
lotes visitans iniquitatem patrum in filios,
in tertiam & quartam generationem, eo-
rum, qui oderunt me: & faciens misericor-
diam in millia, his, qui diligunt me, & custo-
diunt præcepta mea.

Qua est horum verborum sententia?

RESPONSIO.

Deus minatur poenam omnibus, qui ista præcepta
transgrediuntur & violant Debemus itaq; expauesce-
re, & timere iram Dei, & nihil contra huiusmodi præ-
cepta facere: Rursus promittit etiam suam gratiam, &
omnia bona omnibus, qui mandata illa obseruant.
Merito igitur debemus Deum diligere, & illi confide-
re, & juxta mandata eius omnem nostram vitam sedu-
lò & diligenter instituire.

SYMBOLVM APOSTOLICVM, QVOMODO

do paterfamiliâs id suæ familiæ simplicissimè tradere debeat.

PRIMVS ARTICVLVS

DE CREATIONE.

Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ.

Quæ est huius articuli sententia?

RESPONSIO.

Credo, quòd Deus creauit me, ynà eum omnibus creaturis: Quòd corpus & animam, oculos, aures, & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dedit, & adhuc sustentet: Ad hæc, quòd vestes & calceos, cibum ac potum, domum, vxorem, liberos, agros, iumenta, & omnia bona, cum omnibus vitæ necessarijs copiosè & quotidie largiatur: Me contra omnia pericula protegat, & ab omnibus malis liberet & custodiat: Et hæc omnia ex mera sua paterna ac diuina bonitate & misericordia, sine vllis meis meritis, aut vlla dignitate: pro quibus omnibus, illi gratias agere, plene ore laudem tribuere, inseruire, obsequi, merito debet. Hoc certissimè verum est.

SECVNDVS ARTICVLVS

DE REDEMPTIONE.

Et in Iesum Christum, Filium eius vnigenitum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Passus

sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit in cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Quæ est huius articuli sententia?

R E S P O N S I O.

Credo, quòd Iesus Christus, verus Deus à Patre ante secula genitus, idemq; verus homo, natus ex Maria virgine, sit meus Dominus: qui me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à potestate Saranæ liberavit: non quidem auro & argento, sed suo sancto ac pretioso sanguine, suaq; innocente passione ac morte, vt ego essem totus ipsius, & in regno eius sub ipso viverem, ac ei seruirem, in perpetua iustitia, innocentia, & beatitudine, perinde ac ipse à morte surrexit, viuit & regnat in æternum. Hoc certissimè verum est.

TERTIVS ARTICVLVS

DE SANCTIFICATIONE.

Credo in Spiritum sanctum; Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem, Et vitam æternam, Amen.

Quæ est huius articuli sententia?

R E S P O N S I O.

Credo, me proprijs rationis meæ viribus, Iesu Christo Domino meo fidere, aut ad eum accedere, &

peruenire, nullo modo posse: Sed Spiritus sanctus per Euangelium me vocauit, suis donis illuminauit, in ista fide sanctificauit, & conseruauit: Quemadmodum solet totam Ecclesiam in terra vocare, congregare, luminare, sanctificare, & in IESU Christo per veram & vnicam fidem conseruare: in qua Ecclesia mihi & omnibus Christianis, omnia peccata quotidie benigne remittit, & nos omnes in extremo die à morte suscitabit, ac mihi & omnibus in Christum credentibus vitam æternam dabit. Hoc certissimè verum est.

ORATIO DOMINICA, QUOMODO PATER FAMILIARIS eam suæ familiæ simplicissimè tradere debeat.

PATER noster, qui es in cælis.

Quæ est horum Verborum sententia? Responsio.

Deus amanter nos hac præfatiuacula inuitat, vt verè credamus, eum nostrum verum Patrem, nosq; eius veros filios esse, vt eum confidentiùs pleni fiducia inuocemus: quemadmodum videmus, liberos certa fiducia aliquid à parentibus suis petere,

PRIMA PETITIO,

Sanctificetur nomen tuum.

Quæ est huius petitionis sententia?

RESPONSIO.

Nomen Dei per se quidem sanctum est, Verùm n

oramus hac petitione, vt apud nos quoque sanctificetur.

Qua ratione fit istud? Responso.

Cum verbum Dei purè ac sincere docetur, & nos secundum illud, vt filios Dei decet, piè viuimus, quod vt fiat, dona nobis, mi pater, qui es in cœlis. Qui verò aliter docet, vel viuunt, quàm verbum Dei docet, ille nomen Dei inter nos prophanat. Ne autem hoc accidat, tu prohibe mi pater cœlestis.

II. PETITIO.

Adueniat regnum tuum.

Qua est huius petitionis sententia?

R E S P O N S I O.

Regnum Dei venit etiam per se, sine nostra oratione, Sed petimus hac precatione, vt ad nos quoque perueniat.

Qua ratione fit istud? Responso.

Cum Pater cœlestis dat nobis suum sanctum Spiritum, qui efficit gratia sua, vt sancto eius verbo credamus, ac piè viuamus, cum in hoc tempore, tum postea in æternum.

III. PETITIO.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra.

Qua est huius petitionis sententia?

R E S P O N S I O.

Bona ac misericors Dei voluntas, fit quoque sine nostra oratione, Sed rogamus hac petitione, vt etiam apud nos fiat.

Qua ratione fit istud? Responso.

Cum Deus frangit ac impedit omne malum con-
silium, voluntatem, & conatus, qui obstant, quò minus
nomen Dei sanctificemus, regnumq; eius ad nos per-
uenire possit, vt est diaboli, mundi, & carnis nostri
voluntas. Deinde cum confortat & conseruat nos fir-
miter in suo verbo ac fide, vsq; ad finem vitæ nostræ.
Hæc est misericors ac bona ipsius voluntas.

III. PETITIO.

Panem nostrum quotidianum da nobis
hodie.

Qua est huius petitionis sententia?

RESPONSIO.

Deus dat quidem omnibus panem quotidianum,
quamuis non petamus, etiam malis hominibus. At
nos precamur hac petitione, vt agnoscamus hoc be-
neficium, atq; ita panem nostrum quotidianum cum
gratiarum actione accipiamus.

Quid autem significat panis quotidianus? Resp.

Significat omne, quod ad vitæ nostræ necessitatem
ac sustentationem pertinet, videlicet cibum, potum,
vestes, calceos, domum, arcam, agros, pecudes, pecu-
niam, diuitias, probam coniugem, probos liberos, pro-
bos seruos, probum ac fidum magistratum, bonum
Reipublicæ statum, salubrem aërem, pacem, sanitatem,
modestiam, honorem, bonos amicos, fidos vicinos,
ad genus alia.

V. PETITIO.

Et remitte nobis debita nostra, sicut et
nos remittimus debitoribus nostris.

Qua est huius petitionis sententia?

RESPONSIO.

Petimus hac precatione, ne Pater coelestis velit respicere & examinare peccata nostra, & propter ista nostram orationem repudiare: Quandoquidem nullis rebus, quas petimus, digni sumus, nec quicquam mereri possumus: Sed ut velit nobis sua gratia & bonitate donare omnia: Quia quotidie multifariam peccamus, & nihil nisi poenas meremur. Vicissim autem ex corde condonabimus, quicquid in nos peccauerint alij, & pro maleficio libenter reddemus beneficium.

VI. PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Qua est huius petitionis sententia?

RESPONSIO.

Deus quidem neminem tentat, Sed tamen petimus hac petitione, ut ipse nos custodiat & conseruet, ne Satanas, mundus & caro nostra, nobis imponant, & nos a recta fide seducant, & in superstitionem, diffidentiam, desperationem, atque alia grauius scelera & flagitia conijciant. Et ut maximè eiusmodi tentationibus sollicitemur, ne suecumbamus, sed ut tandem vincamus ac triumphemus.

VII. PETITIO.

Sed libera nos à malo.

Qua est huius petitionis sententia?

RESPONSIO.

Oramus hac precatione tanquam in summa, ut Pater noster coelestis, liberet nos ab omnibus malis ac periculis, corporis & animæ, bonorū & honorum. Et

vt tandem, cum hora mortis venerit, felicem vitam nobis largiatur, nosq; pro sua gratuita bonitate ex hac miseriarum valle ad se in cœlum recipiat.

AMEN.

Quæ est huius vocabuli significatio?

AMEN significat idem, quod, certè, vt scilicet ego sum certus, eiusmodi petitiones Patri nostro cœlesti esse acceptas atq; ab eo exauditas. Quia ipse nobis mandauit, vt ad hunc modum oremus, promittitq; nos exauditurum esse, Amen, Amen, id est, verè, certè hæc ira fiet.

SACRAMENTVM
BAPTISMI: QVOMODO DE
 eo paterfamilias suam familiam simplicissimè docere debeat.

PRIMUM.

Quid est Baptismus? Responso.

Baptismus non est simpliciter aqua, sed est aqua diuino mandato comprehensa, & verbo Dei obsignata.

Quod est illud Verbum Dei? Responso.

Vbi Dominus noster Iesus Christus dicit, Mat. ultimo: Euntes docete omnes gentes, Baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

SECUNDVM.

Quid prestat aut confert Baptismus?

RESPONSIO.

Operatur remissionem peccatorum, liberat à morte

& à Di

& a Diabolo, & donat æternam beatitudinem omnibus, & singulis, qui credunt hoc, quod verba & promissiones diuinæ pollicentur.

Quæ sunt illa Verba & promissiones diuinæ?

R E S P O N S I O.

Vbi Dominus noster I E S V S C H R I S T V S dicit,
 Marci ultimo :

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.

T E R T I V M.

Qui potest aqua tam magnas res efficere?

R E S P O N S I O.

Aqua certè tantas res non efficit, Sed verbum Dei, quod in & cum aqua est, & fides, quæ verbo Dei aquæ addito credit. Quia aqua sine verbo Dei est simpliciter aqua, & non est Baptismus, Sed addito Verbo Dei est Baptismus, hoc est, salutaris aqua gratiæ & vitæ, & lauacrum regenerationis in Spiritu sancto, sicut Paulus ait ad Tit. 3. Secundum tuam misericordiam nos saluos fecit, per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati illius gratia, heredes efficeremur iuxta spem vitæ æternæ, Fidelis hic sermo est.

Q V A R T V M.

Quid autem significat ista in aquam immersio?

R E S P O N S I O.

Significat, quòd vetus Adam, qui adhuc in nobis est, subinde per quotidianam mortificationem ac pœni-

tentiam in nobis submergi & extingui debeat, vna cum
omnibus peccatis & malis concupiscentijs, atque
suis quotidie emergere ac resurgere nouus homo,
in iustitia & puritate coram Deo viuat in æternum.

Vbi hoc scriptum est? Responsio.

Sanctus Paulus ad Roman. 6. dicit: Sepulti igitur
sumus vnâ cum Christo, per Baptismum in mortem
vt quemadmodum excitatus est Christus ex morte
per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambule-
lemus.

DE CONFESSIONE QUOMODO SIMPLICIORES de ea erudiendi sint.

Quid est Confessio? Responsio.

CONFESSIO duo comprehendit, vnum est pec-
cata confiteri: alterum est absolutionem siue re-
missionem à Confessionario siue præcone Euan-
gelij accipere, tanquam ab ipso Deo, & non dubitare
sed firmiter credere, peccata per illam absolutionem
coram Deo in cælo remissa esse.

Qua peccata sunt confitenda? Responsio.

CORAM Deo omnium peccatorum reos nos scire
re debemus, etiam eorum, quæ nobis sunt abscondi-
ta, sicut in oratione Dominica facimus. Coram mini-
stro autem debemus tantum ea peccata confiteri, quæ
nobis cognita sunt, & quæ in corde sentimus.

Quanam sunt ista? Responsio.

Hic vnusquisque examinet vitæ suæ statum secun-
dum decalogum, an pater, mater, filius, filia, dominus

*Nota verba
manifeste contra
p. 331 legitur.*

hera, seruus sis : an contumax, infidelis, negligens fueris : an aliquem læseris, dictis, factis : an furtum commiseris, aut iniuria, ignauia & segnitie damnum alicui intuleris.

BREVIS FORMA CONFESSIONIS
PRO RVDIORIBVS.

In hunc modum alloqui debes ministrum Verbi.

Reuerende & dilecte Domine, rogo te,
vt confessionem meam audias, & mihi propter Deum remissionem annuncies.

Miser ego peccator confiteor coram Deo, me omnium peccatorum reum esse, in primis confiteor coram te, me quidem seruum, ancillam, &c. esse, sed infideliter seruire domino meo : non enim feci, non facio, quæ mihi iniungit, irritaui, & ad maledicendum commouî dominum vel dominam meam, multa neglexi, & damno causam præbui, &c. in verbis & factis petulantem me præbui, impatiens fui, obstrepui, &c. ideo doleo, gratiam imploro, emendationem promitto.

Herus aut heras sic dicant :

In primis confiteor coram te, me non diligentem fuisse in fideli educatione & institutione liberorum & familiæ ad gloriam Dei : blasphemauî, nomine Dei abusus sum, malum exemplum praua loquens & faciens præbui, vicinos læsi, multis obrectaui, pondera & mensuras violauî, decepi proximum vendendo merces, &c. Et si quid aliud contra præcepta Dei in cuiusq; vocatione occurrit, &c.

Si verò quis non sentit, se onerari talibus aut gra-
uoribus peccatis, is non sit sollicitus, nec querat
fingat peccata, nec ex Confessione carnificinam fa-
ciat, sed vnum atq; alterum peccatum sibi notum re-
tinet, vt: In primis confiteor, me ab usum esse nomi-
ni diuino, verbis impudicis vsurum, hoc vel illud neglexi
&c. Sic sanè quietat animus.

Si verò planè nullius tibi conscius es, (quod prop-
riè impossibile est) nullum etiam in specie re-
tinet, sed accipias remissionem, facta generali confes-
sione, quam coram Deo ad ministrum pronuncias.

Respondeat autem minister: Deus tibi sit propiti-
& confirmet fidem tuam, Amen.

Interroget etiam confitentem: Num meam rem-
issionem credis esse Dei remissionem? Affirmanti & cre-
denti porrò dicat: Fiat tibi, sicut credis. Et ego
mandato Domini nostri IESV CHRISTI, remitto
tibi tua peccata in nomine patris, Filij, & Spiritus fan-
cti, Amen. Vade in pace.

Qui verò conscientias habent afflictas, tentatas
mœltas, eos minister pluribus sententijs scripturæ sa-
cientibus ad fidei incrementum consolabitur.

Hæc, quam commemorauimus, tantum est puerili
& communis forma Confessionis pro simplicioribus
& rudioribus.

SACRAMENTVM AL- TARIS, QVOMODO PATERFA- miliã simplicissimè suam familiam de eo docere debeat.

Quid est Sacramentum altaris?

RESPONSIO.

Sacramentum Altaris est verum corpus & verus san-
guis Domini nostri IESV CHRISTI, sub pane & vino

nobis

nobis Christianis ad manducandum ac bibendum ab ipso Christo institutum.

Vbi hoc scriptum est? Responſio.

Sic ſcribunt ſancti Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas & ſanctus Paulus :

Dominus noſter I E S U S C H R I S T V S, in eâ nocte, qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquam gratias egiffeſt, fregit & dedit diſcipulis ſuis, dicens : Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem.

Similiter & poſtquam cœnauit, accepit calicem & cùm gratias egiffeſt, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur, in remiſſionem peccatorum: Hoc facite quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem.

Quid verò prodeſt, ſic comediffe & bibiſſe?

R E S P O N S I O.

Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum, Nempe, quod nobis per verba illa in Sacramento remiſſio peccatorum, vita, iuſticia & ſalus donentur. Vbi enim remiſſio peccatorum eſt, ibi eſt & vita & ſalus.

Qui poteſt corporaliſ illa manducatio tantas res efficiere?

R E S P O N S I O.

Manducare & bibere iſta certè non efficiunt, ſed illa verba, quæ hîc ponuntur: Pro vobis datur & effunditur.

fundi-

funditur in remissionem peccatorum, & verba sunt vnà cum corporali manducatione caput summa huius Sacramenti. Et qui credit his verbis, habet, quod dicunt, & sicut sonant, Nempe, remissionem peccatorum.

Quis vitur hoc Sacramento digne?

R E S P O N S I O,

Ieiunare & corpus suum præparare, est quidem bona & externa disciplina. At ille est verè dignus ac præbè paratus, qui habet fidem in hæc verba: **PRO VOBIS datur & effunditur in remissionem peccatorum.** Qui verò his verbis non credit, aut de illis dubitat, ille est indignus ac imparatus. Quia hoc verbum, **PRO VOBIS**, postulat omnino cor, quod Deo credat.

QVO PACTO PATRES FAMILIAS SVAM FAMILIAM formas Benedictionis, vnam manè, alteram vesperi dicendam, simplicissimè docere debeant.

Manè cum surgis è lecto, signabis te signo sanctæ crucis, dicens:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Deinde innitens genibus, vel stans, dicas Symbolum & Orationem Dominicam. His potes & hanc præcætiunculam addere:

GRatias ago tibi mi Pater cœlestis, per Iesum Christum Filium tuum dilectum

quod

quòd me hac nocte ab omnibus incommodis ac periculis conseruatum custodieris. Et oro te, vt me hac die quoq; conseruare, & à peccato & omnibus malis custodire velis, vt tibi omnia mea facta, atq; ad eò tota vita bene placeant. Quia ego me, meumq; corpus & animã, ac omnia in manus tuas commendo, Tuus sanctus Angelus sit mecum, ne diabolus quidquam in me possit, Amen.

Postea alacriter ad vocationis tuæ operas accedendum est cantato Psalmo, Decalogo, vel alio carmine, quo excitetur cor tuum.

SIMILITER vesperi, cum confers te cubitum, signabis te signo sanctæ crucis, dicens:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Demde flexis genibus, vel stans, dicas Symbolum & Orationem Dominicam. His potes & hanc precatiunculam addere:

Gratias ago tibi mi Pater cœlestis. Per Iesum Christum, Filium tuum dilectum, quòd me hac die gratuita misericordia & bonitate tua custodieris. Et oro te, vt mihi omnia peccata mea, quæ perpetravi, & quibus offendi te, remittere, & me hac nocte, tua gratia benignè conseruare velis. Quia ego me, meumq; corpus & animam, ac omnia in manus tuas commendo. Tuus sanctus Angelus sit mecum, ne diabolus quidquam in me possit, Amen.

Atq; ita tandè placidè & tranquillè dormiendum est.

QVO.

QVO PACTO PATRES

familiâs suam familiam Benedictionem Mensæ, & Gratiarum actionem simplicissimè docere debeant.

BENEDICTIO MENSÆ.

Pueri vnâ cum familia debent complicatis manibus, modestiam præ se ferentes ad mensam accedere & sic orare :

OCuli omnium in te sperant DOMINE & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione.

(SCHOLIION. *Benedictio hic significat largam distributionem Dei, qui omnibus annuantiis tantum cibi suppeditat, et inde hilariter & jucundè vivere possint. Hanc benedictionem & latissimam, ac acquiescentiam impediunt sollicitudo prohibita, cura, auaritia, tenacitas.*)

Deinde addant Orationem Dominicam, cum oratione sequenti :

DOMINE Deus Pater cœlestis, benedici nobis & his donis tuis, quæ de tua largita sumimus, per Iesum Christum Dominum nostrum, AMEN.

GRATIARVM ACTIO.

Sic quoq; post cibum sumtum, ad eundem modum modestè complicatis manibus ad mensam assistant dicant :

Con

Confitemini Domino, quoniam bonus,
 quoniam in aeternū misericordia eius.
 Qui dat escam omni carni. Qui dat jumen-
 tis escam ipsorum, & pullis coruorum inuo-
 cantibus eum. Non in fortitudine equi vo-
 luntatem habebit, neq; in tibijs viri bene-
 placitum erit ei. Beneplacitum est Domino
 super timentes eum, & in eis, qui sperant su-
 per misericordia eius.

Deinde addant Orationem Dominicam, cum ora-
 tione sequenti :

Gratias agimus tibi Domine Deus Pater,
 per Iesum Christum Dominum nostrum,
 pro vniuersis beneficijs tuis, Qui viuis & re-
 gnas in secula seculorum, Amen.

TABVLA OECONOMICA, IN
QVA PROPONVNTVR ELEGANTES
 quaedam ex sacra scriptura sententiæ, pro o-
 mnibus sanctis ordinibus ac statibus, per
 quas illi, tanquam propria quadam le-
 ctione, sui officij & muneris
 admonentur.

EPISCOPI, PAROCHIS ET
CONCIONATORIBVS.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius
 vxoris maritum, vigilantem, sobrium, modestū,
 hospitem, aptum ad docendum, non vinolen-
 tum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed

æquum, alienum à pugnis, alienum ab auaritia, qui domui bene præsit, qui liberos habeat in subiectione cum omni reuerentia, non nouitium, tenacem fidei sermonis, qui secundum doctrinam est, vt potest exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, &c. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.

QVID DEBEANT AUDITORES
EPISCOPIS SVIS.

Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere, 1. Corinth. 9. Communicet Doctore in omnibus bonis, is, qui docetur verbo, Galat. 6. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non obligabis os boui trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. Obedite præpositis vestris, & ceditis eis. Ipsi enim vigilat, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes hoc enim non expedit vobis.

DE MAGISTRATIBVS.

Omnis anima potestatibus super eminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo. Quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Ita quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistit, sibi ipsi iudicium accipiet: Non enim frustra gladium gestat, Nam Dei minister est, Vtor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit, Rom. 13.

QVID SUBDITI MAGISTRATIBVS DEBEANT.

Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, Matth. 22. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Ideoq; necessitate subditi estote, no

solūm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Sed etiam & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem, Rom. 13. Adhortor primū omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & grauitate, 1. Timoth. 2. Admone illos, Principibus & potestatibus subditos esse, &c. Tit. 3. Subditi estote omni humane creaturæ, propter Dominum, siue Regi, tanquam præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis, &c. 1. Petr. 2.

MARITIS.

Viri cohabitent cum vxoribus secundū scientiam, veluti infirmiori vasi muliebri, impertientes honorem, tanquam etiam cohæredibus gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces vestræ, 1. Petr. 3. Viri diligite vxores, & ne sitis amarulenti aduersus illas, Coloss. 3.

VXORIBVS.

Similiter vxores, subditæ sitis vestris viris tanquam Domino, quemadmodum Sara obediuit Abraham, Dominum illum appellans, cuius factæ estis filiæ, dum benefacitis, & non terimini vllō pauore, 1. Petr. 3. Ephes. 5.

PARENTIBVS.

Parentes, ne prouocetis ad iram liberos vestros. Sed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini, Ephes. 6.

LIBERIS.

Filij, obedite parentibus vestris in Domino, nam est iustum: Honora patrem tuum & matrem tuam, Quod est præceptum primum in promissionibus. Ut bene tibi sit, & sis longævus in terra, Ephes. 6.

SERVIS, ANCILLIS, MERCENARIIS, ET CAETERIS AD LABOREM CONDUCTIS.

Serui, obedite ijs, qui Domini sunt secundum carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, tanquam Christo, Non ad oculum seruientes, veluti hominibus placere studentes, sed tanquam serui Christi, facientes, quæ vult Deus, ex animo cum beneuolentia, seruientes Domino, & non hominibus, illud scientes, quod vnusquisq;, quod fecerit bonum, hoc reportaturus sit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber, Ephes. 6. & Colos. 3.

PATRIBVS FAMILIAS ET MATRIBVS FAMILIAS.

Et vos, Domini, eadem facite erga illos, remittentes minas: scientes, quod & vester ipsorum Dominus sit in cælis, nec personæ respectus sit apud illum, Ephes. 7. Colos. 4.

COMMVNI IVENTVTL

Similiter iuniores subditi estote senioribus. Sic, omnes alius alij vicissim subiiciamini. Humilitatem animi vobis infixam habete. Propterea quod Deus superbis resistit; Humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet tempore opportuno, I. Petri 5.

VIDVIS.

Quæ verè vidua est ac desolata, speret in Deo, & perseveret in obsecrationibus ac precationibus noctu dieq;. Quæ verò in delirijs viuit, ea viuens mortua est, 1. Tim. 5.

OMNIBVS IN COM-
MUNE.

Dilige proximum tuum, sicut teipsum. In hoc sermone omnia præcepta summatim comprehenduntur, Roman. 13. Et ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, &c. 1. Timoth. 2.

*Cuiq; sit in primis magna sua lectio cura,
Ut domus officijs stet de orata suis.*

*Ein jeder lern sein Lektion/
So wird es wol im Hause ston.*

*Πᾶσι δὲ ἰδὲν ἀνάγκη ἐῖς ὡσεὶ πείθεσθαι ἀδελφούς,
οἶκον ἔχει πικρῶν εὐπορέοντα καλῶν.*

